

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

Caput XXV. Qualiter homo sua graumania deo committat.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

## CAPUT XXV.

QUALITER HOMO SUA GRAVAMINA DEO COMMITTAT.

ITEM cum pro alia oraret, hoc a Deo responsum audivit:  
 I<sup>a</sup> Cum homo in aliquo gravatur, ad pedes meos se prosternat, ibique omne onus suum mihi committendo, deponat, legatque Orationem: *Respice, Domine, super me famulam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium et Crucis subire tormentum: orans ut oculis misericordiæ ipsam respiciam, illuminando animam ejus, ut agnoscere valeat ad quid et ex quanto amore, hoc ipsi evenire permiserim, quatenus ad laudem meam hæc et omnia sibi adversantia sufferat patienter. Deinde ad manus meas veniat legendo Responsorium<sup>1</sup>: *Emitte, Domine sapientiam de sede magnitudinis tuæ ut mecum sit et mecum laboret; ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore. ŷ. Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam. Ut sciam. Gloria. Ut sciam.* orans ut divina sapientia cooperatrix et adjutrix ejus sit, quatenus hoc gravamen ad Dei gloriam sibi utiliter ad fructum universitatis valeat tolerare. Tertio ad Cor meum accedat, legendo: *O mira circa nos tuæ pietatis dignatio; o inæstimabilis dilectio charitatis ut servum redimeres, filium tradidisti<sup>2</sup>: et: O admirabile pretium, cujus pondere captivitas redempta est mundi, tartarea confracta sunt claustra inferni, aperta**

1. Ex Historia Sapientiæ, in mense Augusti.

2. Ex præconio paschali in Sabbato Sancto.

*est nobis janua vitæ* <sup>1</sup>, orans ut per amorem divini Cordis mei, quo omnium hominum onera portavi, faciam eam onus tristitiæ suæ cum gratitudine amanter supportare. »

## CAPUT XXVI.

QUALITER HOMO COR SUUM DE OMNI TRIBULATIONE DEO OFFERAT.

**A**LIA vice cum pro una oraret, quæ certificari desiderabat si cum Deo permansura esset, vidit animam ejusdem coram Domino flexis genibus, cor suum ei propinquantem, in modum calicis duas aures habentis, voluntatem et desiderium figurantes, quibus illa Deo cor suum offerebat. Dominus autem calicem illum gratanter accipiens, posuit in sinum suum. Habuitque duas amphoras, unam auream a dextris, et a sinistris argenteam, nunc de una, nunc de altera infundens pariter commiscebat: in aurea amphora dulcedo divinitatis, in argentea vero labor humanitatis ejus erat; quod insimul in cor hominis infundit, cum illi in tribulatione suæ divinæ consolationis dulcedinem dat sentire et labores suæ humanitatis tribuit in solamen.

Duplicia per  
Christum  
homini  
solatia.

Et ait Dominus: « Cum homo gravatur, si in ipso initio mihi illud propinaret, ego cum inde biberem, ex ore meo tantum dulcedinis infunderem; unde sic nobilitaretur, ut nunquam de cætero posset perire. Sed cum homo prior inde bibit, inficit illud, et quo plus bibit, eo magis amari- catur, ut jam me inde bibere non deceat, nisi pœnitentia et confessione purgetur. » *Glosa.* Cum homo tristatur, statim omne gravamen suum Deo offerre deberet; tunc ipse dulce-

1. Antiphona vetus ad Crucis adorationem in Parasceve.